

Demeritz
10.07.8

0cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21



phil
codice

10078


Dementz
10.07.8

10.8



15

pro. 26. q. spina est in eis magna
parabolæ in ore stricti.





QVOD DODAIM

Gen. 30. & Cant. 7. Mandragoræ non sint, sed Tubera.

Diatriba authore. Ph. Codurco.

QUID rei sit דודאים Gen. 30. & Cantic. 7. quod nec alibi occurrit, multi viri docti ex veteribus & recentioribus quæsuerunt. Græci Latinique mandragoras vertunt. Et per mandragoras herbam illam soporiferam, vulgo notam, intelligunt. Quibus ego assensum præbere nequeo. Ex vtrōque verò loco claret esse aliquid quod in agro legatur, quódque in precio sit, neque paßim reperiatur omni loco, omniue tempore, quódque sit grati odoris, & fortasse quod inter edulia, scitique saporis habeatur. His positis quæremus etiam nos per variarum appellationum vestigia, per sedulam vtriusque loci, & veterum commentatorum pensationem, siquid verosimilius statuere valeamus. דודאים Hebraic interpretantur. Iarchius etiam dicit, esse Arabicè סִגְלָי סִבּוֹסְכִּים יַבּוֹחִים Hebraicæ vocis origo est à nomine דָּרִים ubera, mammæ vel à amore. Quod dodaim uberum formam referant, vel quod conducant ad conciliandum amorem, & venetrem iuuent. Videntur etiam Chaldaicæ voces סִגְלָי סִבּוֹסְכִּים יַבּוֹחִים à volubilitate, & rotunditate dictæ. Quæ omnia mandragoræ herbae quadrant minimè. Sunt enim man-

dragoræ folia lactucarum persimilia, radix bifida & longa.
Mala non fert: sed grana multa, quæ nucis aquellanæ ma-
gnitudinem vix æquant, intra quæ semen est conditum,
seminis pitorum simile, folia, grana, flos, radixque graue-
olent. Nulla flori gratia, nullus usus totius plantæ, nisi ad
soporem & stuporem conciliandum, ne punctiones, se-
ctionesque sentiantur. Nec credendum Plinio referenti
quibusdam in terris mala eius mandi, quod ab alio acce-
pit, qui vocis similitudine deceptus Plinio imposuit:
Existimauitque magedarim esse mandragoram. Nec du-
bito Græcos interpres bibliorum, vocum magis quam
herbarum gnaros magedarim vocem Syriacam, vel Ara-
bicam aut Cyrenaicam idem esse quod mandragoram pu-
tauisse: Cùm probè tenerent in Syria, & Arabia מַדְרָגָה esse
magedaras, græcè idem esse quod mandragoras suspiciati
sunt. Ego verò coniicio magedarim vocem esse Arabi-
cam vel Syriacam quæ caluariam significet & cranium,
quia תְּבִירָה terrificum significat, & terriculamentum; quod
in satis defigitur ad fugandas auiculas, quod etiam nomen
תְּבִירָה significare videtur: vel à rotunditate, nam עֲדָמָה
est ἀναφολαίσθε Eph. i. Et אֶדְםָה significat gutturis tu-
ber, bronchocele, leprosy, & וְדָם variolas, tubercu-
la. Tuber verò ita Cyrenaicè appellari propter cranij &
caluariæ formam. Atque ex illa Cyrenaica tuberis appella-
tione per Africam pérque Ægyptum familiari, quod
Cyrenaica tubera ab odore & sapore maximè commen-
dantur, Alexandrinos interpres magedarim & mandra-
goram confudisse. Silphij autem & laserpitij tuberosam
radicem in Cyrenaica prouincia magedarim dici, testes
sunt Plinius & Dioscorides. Porro tubera ράνα vel ρέπα-
νια in Thracia constat esse appellata ex Plinio, Dioscori-
de, Athenæo. Et qui geranium vel ceraunium legunt vel
emendant veram & germanam appellationem corrum-
punt. Dicuntur etiam tubera græcè communiter ὑδνα;
quod maximè appetantur à suibus. Vnde & tuberis alte-
rum genus panis porcinus vulgo appellatur. Leo Alber-
tus lib. 9. descriptionis Africæ dicit tubera appellari Ara-

bicè habbazis. **τύραν** Arabicè panis est. Tuberum nomina variant, ut & genera pro variis regionibus. Apud Atheneum lib. 2. tuber Cyreniacum appellatur misy vel misum. Thracicè **κράνιον** sive istos: Sed variant lectiones. Alij enim habet **τύραν** alijs **οὐράν**. Leo Albertus laudato libro dicit Numidas appellare misum terfes. Notum est Massiliensibus tubera appellari: **tuferes**, nostris **trufes**. Hebræi dicunt **תְּנַשׁ** esse herbam cuius flos est viola, & folium trifoliatum, quod à cyclamino non abludit. Et cyclaminus **τριγλύπη** nomen habet, ut **τριγλύπη** à rotunditate. Cyclaminus autem alterum tuberis genus est, diciturque tuber terræ, panis porcinus. Nam duo tuberum genera ponuntur, vnum sine radice, sine caule, si non ipsum tuber radix est. Alterum quod caulem & radices sive fibras præter tuber habet. De altero quod cyclaminus, tuber terræ, panis porcinus vocatur, Plinius ait, si radicem eius prægnans præterierit abortum sequi. Certum est cyclamini radicem prægnantibus esse noxiā, atque abortum facere. Ait idem Plinius, serendum esse in omnibus dominibus, si verum quod aiunt vbi sata sint non nocere mala medicamenta, & ea propter amuletū vocari. Ex illo dupliciti tuberū genere nata est tanta interpretum varietas ut quidam amuleti genus esse asserterent. Alij contenderent esse edulium, & venerem iuuare. Alij esse violam & genus herbæ. Alij esse radicem quæ speciem humani corporis vel capitis referat. Sed **τύραν** significant primum tuberis genus. A quo alterum mutuatur panis porcini nomen, ut & tuberis. Tuba enim porci appetunt maximè, quæ rūntque ea subulci, vbi vident sues rostro impensiūs terram suffodere, præripiūntque ut plurimū suibus. Datum est tuber, quòd sit terræ vber, non modò ob externam formam rotundam & circularem, in qua sæpe visuntur instar papillarum prominentes & protuberantes glandulae. Sed etiam propter interiorem substantiam, quæ fungosa est, & spongiosa mammarum instar. Tuber præbet speciem capitis humani & cranij. Tuber grati est saporis, & valde laudatur inter fercula in mensis: venerem

iuuat: vere crescit, & suauem odorem mittit. Et tubera
cum nascuntur suauem odorem mittunt, atque odore
suo terram perfundunt. Et quæcunque de dodaim ex
geminio illo loco & variis commentariis afferuntur tube-
ribus adamussim quadrant. Est autem Cant. 7. eximius io-
eus & manifesta allusio in dicto **παροιμίαν**, וְאֵת שָׁמֶן
i. iamiam fragrant tubera, ad vberum & amoris nomen
הַדּוֹדִים נָתָנוּ רֵיחַ, שֶׁ אָתָן דָּוִדְךָ Cui continuò attexit sponsa.
Quod videtur esse promptum è re rustica accommoda-
tumque virginibus, quarum mammae iam sororiant, quæ
pubertatem ineunt, nupturiunt, vel nubiles eudunt,
חַזְוֹדִים נָתָנוּ רֵיחַ Quia tubera cum primùm nascuntur, &
crescere incipiunt, odorem suum mittunt. Ita sponsa ve-
recundè significat primulùm se esse nubilem. Ut floris sui
illecebrarum commendatione, amorem sponsi magis ac-
cedat. Id sequentia verba confirmare videntur:

על פתחינו כל מגדיס חדים גם ישנים דורי צפתי לך

Quibus præfert illibatam se & intemeratam sponso vir-
ginitatem asseruasse, ut spōsus aperta quasi vernantis horti
ianua omnigenas delicias sibi conditas & seruatas decer-
pere properet. Pertinet etiam ad veris descriptionem, quæ
illic instituitur hoc dictum **הַדּוֹדִים נָתָנוּ רֵיחַ**. Quia vere odo-
rem suum mittere tubera incipiunt. Et ver suum, id est
florentem ætatem hoc dicto sponsa non obscurè significa-
re videtur. His nec leuibus rationum momentis persuasus,
planè sum dodaim esse tubera.

